



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **S. Francisci Xaverii E Societate Iesv Indiarvm Apostoli Novarvm Epistolarvm Libri Septem**

**Francisco <de Javier>**

**Romæ, 1667**

Liber VII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46129](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46129)

## S. FRANCISCI

X A V E R I I

E SOCIETATE IESV

INDIARVM APOSTOLI

NOVARVM EPISTOLARVM.

LIBER VII.

EPISTOLA PRIMA.

P. CYPRIANO SOC. IESV, MELIAPOR-

RAM SANCTI THOMÆ.



ALDE malè percepisti quæ tibi mandata Meliaporæ observanda præscripseram. Clarè ostendis quàm parùm tibi adhæserit ex conversatione Nostræ Beati Patris Ignatij. Plurimum improbo aggressum esse Te litigiosis formulis & Pragmaticorum ministerio forensi convenire Proëpiscopum. semper obseque-

fequeris naturæ isti tuæ vehementi . Quid-  
 quid dextrâ ædificas , lævâ destruis . Sic  
 certò habe : incredibiliter offensum me his  
 quæ à te isthic inurbanè & inhumaniter acta  
 comperio . Si Proëpiscopus aliter agit ac de-  
 beat , non utique tuis emendabitur reprehen-  
 sionibus ; præsertim imprudenter , ut à te  
 factum est , oggestis . Tam longo jam usu in-  
 suevisti nihil non obsequi voluntati tuæ pro-  
 priæ , ut ubicumque moraris omnes offen-  
 das . speciminaque tecum agentibus manife-  
 sta passim edas intractabilis tuæ cujusdam &  
 asperæ Indolis . Faxit Deus ut horum im-  
 prudenter actorum seria te aliquando subeat  
 Pœnitentia . Per ego te quantum amas Do-  
 minum Deum , oro obsecroque , duro ut isti  
 tuo contumacique imperes animo ; quæque  
 hætenus peccasti , rectè factis in posterum  
 compenses . nec tibi aduleris , præfractiori na-  
 turæ imputans motus illos feros . non ea cul-  
 pa est indolis , sed indiligentiæ magnæ , ne-  
 glectis que damnabilis officiorum quæ te Deo,  
 quæ te tuæ conscientiæ , quæ te Proximis,  
 Obedientiæ , Moderationis , Caritatis debito-  
 rem constituunt . Si minus hoc mihi jam  
 affirmantè credis ; at persuasissimum habe : in  
 momento mortis clarissimè id te perspecta-  
 rum .

rum. Etiam atque etiam rogo te nomine  
 Nostri Beati Patris Ignatij, ut per paucos hos  
 dies quibus illa tibi hora ultima differtur, di-  
 scas exerceasque æquanimitatem, mansuetu-  
 dinem, patientiam, demissionem modestam.  
 sic habe: humilitate quidvis absolvitur. Si  
 non potes tantum efficere quantum cuperes,  
 age quod ex æquo & bono potes. Vi atque  
 impetu nihil perficitur in his Indiæ partibus;  
 & quod longanimitate, obsequio, modestiâ,  
 Bonum haud dubiè succederet, ab impoten-  
 ter erumpentibus irâ, jurgio, intemperijs, or-  
 tu in ipso corruptum extinguitur. fructus  
 sine offensione ac tumultu proveniens, etiam si  
 tantillus sit quantum hęc brevissima lineo-  
 la designet —, præstabilior multò major-  
 que est quàm alius adeo in speciem largior,  
 ut ei videatur exprimendo tota impendenda,  
 quanta transversæ paginæ universum exæ-  
 quet spatium, hujus formæ linea.

---

Multum vereor ut quidquam allegatorum  
 hætenus à me, sufficiat revocando ad frugem  
 tibi. Illud tamen & scio, & scire te jubens,  
 certissimè denuncio: fore omnino ut tempo-  
 re tui ex hac vitâ transitûs, acriter horum à  
 te

te perperam actorum conscientiam pungaris. Gonzalus Fernandez mihi videtur tui similis, acerbus, irritabilis, impatiens: uno ambo exemplo facti, pariterque soliti effrænium vestrorum affectuum intemperijs, zeli ac Religionis speciosum nomen obtendere. Magnifica nempe illa vestra oratio est: Divinæ Gloriæ detrimenta, salutis animarum ferre taciti obstacula non possumus. quid tum? refarcitis ne, an cumulatis damna ista strepitu ac procellis certaminum odiosissimorum? Iterum dico: quod humilitate ac modestia non impetraveritis à Proëpiscopo, nunquam minis & jurgio extorquebitis. Per pietatem & obedientiam, quas & debere fatemini, & reddere velle non negatis Patri Ignatio, obtestor ambos vos, ut subito post hanc lectam Epistolam adeatis Proëpiscopum, & positis uterque coram eo humi genibus, veniam supplices petatis eorum quæ parum ipsi grata fecistis omnium. tum illi manum osculemini; ac si me consolari plurimum cupitis, facite audiam, ad pedum ejus usque oscula ambos ultrò descendisse, ut tantò certiori pignore sanciatis poenitentiam præteritorum futuræque sponsonem modestiæ, quâ sanctè ipsi pollicebimini: nihil vos deinceps, quamdiu

Meliaporæ morabimini , contra ejus voluntatem acturos . Credite mihi : in horâ mortis vestræ multum vos delectabit hoc fecisse . Fide Deo Domino Nostro , nec dubitate quin si vestra modestia nota fuerit omnibus hominibus , impetraturi facile sitis quidquid ad Dei obsequium & salutem animarum pertinens petieritis . In hoc manifestè ambo vos , & vestri amborum similes , erratis , quod arbitramini , auctoritatem apud omnes maximam solo Societatis I E S V nomine , tanquam hereditario vobis jure tribuendam , antequam eam magnis & illustribus demississimæ humilitatis experimentis paraveritis . Recordamini videlicet venerationis ingentis , quâ summi pariter & infimi Patrem Nostrum Ignatium prosequuntur ; & æquum censetis , pari vos à cunctis reverentiâ dignari : quantumvis virtutum earum quibus istam ille dignationem promeruit , nullum admodum specimen edideritis . Atqui oportuerat primùm rectè facta imitari Patris Nostri , & illa æmulari charismata meliora quæ Deum Dominum moverunt ad tantam ei concedendam apud omne genus hominum gratiam . Vana verò ac stulta est confidentia , paucis aut nullis palàm exhibitis virtutum illustrium exemplis , fructum istum obsequij

quij favorisque popularis, qui sui depressionis  
 infimæ merces est, vobis religiosæ demissionis  
 oblitis expectare proventurum, & indignari  
 nisi provenerit; Populo ad nutus omnes ve-  
 stros obnoxium se ac morigerum præbente.  
 Non me fugit, disertos vos in his excusandis  
 fore; ac mihi asseveraturos, si præsens adessem,  
 judicaturum nihil à vobis in hoc quidem pec-  
 catum; quippe qui mero instincti Dei Amo-  
 re, ac salutis animarum studio, istam conten-  
 tionem susceperitis. Atqui jam hinc vobis  
 denuncio, & persuasissimum esse jubeo; aquam  
 vos apud me in quantumvis accuratâ culpæ  
 istius purgatione perdituros. sine ullâ dubi-  
 tatione sic habete, cadetis causâ me judice.  
 quin addo: crimen vestrum meâ gravi mole-  
 stiâ cumulabitis, si factum quod probari ne-  
 quit, defendere conabimini: sed vicissim fa-  
 teor nihil mihi posse contingere gratius quàm  
 si vos audiam ultrò agnoscere damnareque  
 culpam in hoc vestram. Ac præterita qui-  
 dem, quæ refingi nequeunt, pœnitentiâ  
 prout licet, emendentur: futuris omni cau-  
 tione consulatur. date quod superest, amabo  
 vos, ante omnia sedulam operam, ut cum  
 Proëpiscopo, cum Sacerdotibus, cum Præ-  
 fectis, cum omni genere Magistratum nun-

quam litibus iurgijve committamini . utcumque palàm ab ijs peccari manifestum sit : Malo , quod , bonâ fide , potestis , tranquilli remedij apponite : tumultuosam & morbo pejorem abstinete medicinam ; nec irâ & intemperijs jaciatis aleam funditùs perden- di fructùs , quem modestiâ & mansuetudine potueratis maturare . Superiora dictavi , agnosce in sequentibus manum & cor meum .

O Cypriane , si scires quanto tui Amore hæc ad te scribo . profectò diù noctùque recordareris mei ; & fortè non teneres lachrymas , reputando tenerrimam ardentissimamque quâ te flagrans amplector caritatem . Vtinam patèrent in hac vitâ pectorum arcana . cerneres clarè , mihi crede , Frater mi Cypriane , insculptum te penitus meo animo . Vale . Aprili Mense Anni CXCICLII .

Totus tuus , ut nunquam possim tui oblivisci .

*Franciscus .*

EPI-



EPISTOLA II.

MAGISTRO GASPARI BARZÆO  
RECTORI COLLEGII GOA-  
NI SOCIETATIS  
IESV.

*Gratia & Amor Domini Nostri IESV Christi  
adsit semper nobis auxilio & fa-  
vore. Amen.*

**M**agister Gaspar; Scribo ad Dominum,  
Episcopum de gravi negotio Amici  
mihî carissimi, cui nomen est, Alvarus Gen-  
tilis. Ab hoc cum officij & salutis æternæ  
rationes flagitent, ne differat amplius legiti-  
mum Matrimonium cum Muliere, ex quâ,  
illicito contubernio, liberos suscepit; tamen  
is adhuc cunctatur, impulsuque novo indi-  
get, ut necessarium consilium expediat. Per-  
spexi magnâ præoccupari ejus animum Do-  
mini Episcopi existimatione ac reverentiâ;  
nec dubito, quin si ad multas à me adductas  
ipsi rationes id agendi, precesque ingemina-  
tas, tam venerabilis ipsi Personæ autoritas  
acceserit, statim incidat moras omnes, &  
quod

quod Deus ab eo exigit, faciat. Oro ergo te ut agas cum Domino Episcopo, ab eoque, quod erit facile, impetres: ne gravetur dare Literas ad Alvarum Gentilem, quibus ipsi magnoperè autor sit, atque adeo injungat, ut quod suo ipsius honori, officio, Liberorum statui jampridem debet, sine morâ exequatur; ducendâ Ecclesiastico ritu in Conjugem Matre suorum Filiorum. & subesse aliquid suspicor, cur magis etiam necessaria sit eâ quam procurari à te postulo, Domini Episcopi ad Alvarum adhortatio. scilicet ex hujus ambiguis responsis circa rem ipsi manifestè utilem, in eam opinionem veni: cupere quidem ipsum hoc matrimonium perficere; sed retardari conscientiam impedimenti cujuscumque canonici occulti, qualia multâ novimus matrimonialibus clam intervenire causis. quoniam autem, si quid ejusmodi est, ille apertè non prodidit; subdivinavi ego nonnihil, ex usu rerum talium: & suspicionem explicavi meam Domino Episcopo: ut eâ ille notitiâ præmunitus, expeditiorem habeat facultatem medendi agræ illi animæ: indulgendâ videlicet, pro eâ quâ pollet in eo genere autoritate, istius impedimenti gratiâ; & sic amoliendis cunctis obstaculis tam necessaria-

cessarij remedij. Fac, amabo te, diligenter  
 atque instanter hoc negotium urgeas apud  
 Dominum Episcopum. adeoque Aprili pro-  
 ximo, quæ statuta est tempestivitas solventium,  
 Goâ Malacam navium, ne omittas per eas  
 scribere ad meum, de quo agitur, Amicum  
 Alvarum Gentilem, quid cum Domino Epi-  
 scopo, aut jam transfegeris circa ejus causam  
 ex ijs quæ de illâ didicisti; aut quid te con-  
 fecturum speres circa impedimentum, si quod  
 subsit, ubi te ipse de illo non gravatus fuerit  
 docere. In hunc modum esse opus existimo,  
 ire obviam cunctationi hominis, occultâ qua-  
 dam remorâ hærentis; quam minùs fortè ve-  
 rebitur indicare, si spem feceris, posse il-  
 lum istis quibuscumque vinculis vi Eccle-  
 siasticæ potestatis expediri. Hoc totum tibi  
 sic commendo, ut instantiùs & efficaciùs non  
 possim. Deus nos in suâ Paradisi Gloriâ con-  
 jungat. Vale. Malacâ III. Idus Iulij Anno  
 CIOICLII.

Totus in Christo tuus.

*Franciscus.*

EPI.

## EPISTOLA III.

EIDEM.

*Gratia & Amor Domini Nostri IESU Christi  
adfit semper nobis auxilio & fa-  
vore. Amen.*

**S**ic habe, Magister Gaspar, longè plus de-  
bere me Domino Petro de Sylvâ quàm  
possim ei unquam quantolibet meo conatu  
exsolvere. Etenim ille, quo tempore Præfe-  
cturam gerebat Arcis Malacensis, adeo mi-  
hi favit in omnibus quæ ad Dei obsequium  
spectabant, ut ex quo in Indiâ sum, non me-  
minerim ab ullo me homine tam benevolè  
adjutum. Veneram Malacam transmissurus  
illinc in Iaponiam. Dominus Petrus biduo  
summâ diligentiam paravit mihi navem ad  
eum cursum, qualis inveniri tunc optima  
potuit. nec poteram, ut tum res ibi erant,  
optare meliorem. adjecit de suo munera, pre-  
tio nummorum ducentorum propriam pecu-  
niâ coempta, quæ mihi donavit, ut his Re-  
gi Iaponiæ oblati, ejus favorem, promulga-  
tionis Legis Christi necessarium, pararem.  
Fecif-

Fecisset utinam Deus, ut hoc quoque anno idem Dominus Petrus à Sylvâ Præfectus urbi Malacæ fuisset. commodiorem tunc videlicet habuisset exitum destinata in Sinense Regnum Iacobi Pereriæ Legatio, ex quâ tam certa spes ingentis dilatationis Sanctæ Nostræ Fidei pendebat. Quàm diversum ab illo se mihi præbuit Frater ejus Germanus Dominus Alvarus! qui facultatem ad Sinas navigandi & navem à Domino Prætoze mihi datam eripuit. Ignoscat illi Deus. malè quippe metuo ne graviores quàm ipse expectet aut opinetur, læsum istâ ejus injuriâ Divinum Numen pœnas ab ipso repetat. Sed ut ad ejus dissimillimum Fratrem Dominum Petrum redeam, is modò mihi benignissimè mutuo concessit trecentos aureos, quibus egebam in præsentem ad dispungendum vetus nomen à me in Iaponiâ contractum. Cum enim illic hærenti mihi necessarium omninò videretur Adem Sacram in Vrbe Amanguccio construi, sumpsi commodatò à Lusitanis illic negotiantibus nummos ter centum, quos in eam rem impendi. Ejus debiti dissolvendi dies exierat, & Creditores aderant, fidem meam operientes. Subvénit egestati meæ tam opportunâ mutuatione, & quasi gratui-  
tâ

tâ verfurâ , præstans benignitas Domini Petri ; cui , simul Goæ comparuerit , volo & lubeo te , summam istam trecentorum nummorum ultrò numerare . Sumes istam pecuniam è censu & vectigalibus Collegij , aut ex pensione duàm millium aureorum , quam Rex è suo ærario decrevit Goano Domicilio Sanctæ Fidei , non in usum solum eorum qui illic degunt ; sed ad subsidium Missionum quoque ac Stationum per hos Tractus Orientales variè institutarum ad promulgationem Evangelij : è quibus una est , è vel maximè utilibus Iaponiensis . Cave autem moram interponas ullam hujus expunctioni debiti . Adi , statim ac exscendisse compereris , Hominem , & cum multâ gratiarum actione pecuniam illi suam exsolve . Ægerrimè ferremus si tibi cessanti à tam urgenti , tam enixè injuncto , tam omnibus prævertendo alijs officio , cogeretur Dominus Petrus vellere aurem , & debitum reposcere . Peracerbus is mihi nuncius foret , cujus molestiam lucrifac mihi , quæso te , promptissimâ & qualvis difficultates eluctante , mei hujus executione mandati : quam , non dicam ; si negligeres ( non enim hoc de te meruo ) sed si quolibet obtentu repræsentare prætermitteres , exiguum apud te

te momentum esse arbitrarer mearum gravissimarum commendationum . Deus Dominus Noster nos in Paradisi Gloriâ conjungat . Vale . Malacæ postridie Idus Iulias  
AN. CIOIOLII.

Totus tuus in Christo.

*Franciscus.*

EPISTOLA IV.

P. IOANNI DE BEIRA

SOCIETATIS IESV.

*Gratia & Amor IESV Christi Domini Nostri  
adsit semper nobis auxilio & favore . Amen .*

**I**oannes de Beirâ , per quantum tibi cordi est Dei Domini obsequium , mando & oro , ne quos sensus rerum interiorum à Deo accepisti , cuiquam hominum communices . de notitijs loquor cœlesti illustratione menti tuæ inditis , earum duntaxat rerum , quæ ad bonum & profectum spiritua-  
lem

lem Christianorum Molucensium, Mauri-  
censium, aut aliorum quos te curare contige-  
rit, nihil pertinent. Quæcumque ad utili-  
tatem & progressum in Religione, Christia-  
norum attinent, tractabis cum Domino Præ-  
tore, à quo impetrare satages mandata &  
diplomata quæ ad id opus esse judicaveris.  
quod si te facilius obtenturum speres autorita-  
te ac gratiâ Domini Episcopi, eum supplex  
adibis, orans ne gravetur suadere Domino  
Prætori, ut Ecclesiam Molucensem amplecta-  
tur protectione regiâ, cavens illi. Iussis ac Scri-  
pturis idoneis, adversus injurias vel insidias  
Regis Molucarum, parùm, ut ais, ipsi æqui.  
Totam porrò istam Goæ negotiationem  
tuam, quàm brevissimo poteris absolves tem-  
pore; idque sedulò ages, ut quamprimum  
expeditus ad reditum sis. Vellem paratus es-  
ses ad utendum opportunitate navium quæ  
Mense Majo Goâ in Moluccas solvunt; &  
aliquos illuc tecum è nostris Sacerdotes duce-  
res. Si Sacerdotum non esset copia, alios  
è Socijs assume, vel tinctos literis, & Sacer-  
dotio destinatos, vel etiam Laïcos. nam hi,  
modò boni & industrij sint, propter humili-  
tatem faciliùs se regi sinunt: ideòque accom-  
modatiores videntur ad pacem concordiam-  
que



que nostrorum in eâ statione retinendam.  
 Constitue autem cum Patre Magistro Gaspare, ut omninò quotannis saltem unus è Societate Sacerdos aut Laïcus ad Moluccas mittatur. Cave, oro, ne ulla te causa impediât quò minus Majo Mense Moluccas repetas; nam magnum illic desiderium tui est; utpote cujus ex absentia non modicum res Christiana detrimentum capiat. Defer tecum Goam hanc meam Epistolam, & ostende, si opus erit, Nostris qui illic præfunt. Confido enim eos respectâ meâ voluntate, tuæ reversioni à me iustæ non obstituros. quas autem res mihi communicasti colloquio arcano quod in Æde sacrâ Malacensi habuimus, vide ne cuiquam illic enuncies. Scribo ad Patrem Magistrum Gasparem enixè mandans, ut tibi omni favore auxilioque præstò sit ad ita maturè peragenda, quorum causâ isthuc navigas, negotia, ut quamprimum defungi, paratusque expectare primam quamque transmissionis eò unde venisti occasionem, queas. Porrò da operam ne redeas sine diplomatibus Domini Prætoris ritè consignatis, quæ disertè revocent privilegia per Dominum Ioannem Castrium concessa Regi Moluccarum, quoniam ille quæ vicissim pactus

Qe

erat

erat se facturum, & ex sese collaturum in com-  
moda Christianæ Lusitanæque rei, tam malâ  
fide reddit; contraria potius promissis verbif-  
que suis facta exhibens. Deus nos in Paradisi  
Gloriâ conjungat. Ex Freto Sincapurano XII.  
Kal. Augusti An. CIOIOLII.

Tuus in Christo Frater.

*Franciscus.*

EPISTOLA V.

PATRI MAGISTRO GASPARI BAR-  
ZÆO RECTORI COLLEGII  
GOANI SOCIETATIS  
IESV.

*Gratia & Amor Domini Nostri IESV Christi  
ad sit semper nobis auxilio & fa-  
vore. Amen.*

**M**agister Gaspar, cum Patre Balthasare  
Gago, & Petro de Alcacevâ, solvit  
Iaponem versus Antonius Iapon, Interpretis  
loco ipsis futurus quoad Amangucium perve-  
nerint. Inlecti se passus est meis precibus  
Joan-

## NOVARVM EPIST. Lib. 7. 611

Ioannes Iapon ad præstandam similem operam ei è nostris Sacerdoti aut Sacerdotij experti, qui anno proximè sequenti mittendus est in Iaponiam, eumque comitandum Amanucium usque. Huic bono Neophyto egentissimo, fac, oro te per Deum, corroges aliquando Eleemosynæ nomine summam triginta circiter Pardaorum, unde jubeas emi arbitratu ejus, ipsique donari, merces aliquas ex ijs quas ipse novit facilè ac non parvo in Iaponiâ distrahi solere. Ex tali enim peculio habere poterit utcumque, unde contendens satagensque in Patriâ victitet. Hujus rei oportuit me illi spem facere, ut eum inducerem ad repetendum natale solum, unde illum extrema inopia extrusit. quo autem alacriori sit animo ad benè fideliterque ministrandum ei è nostris qui proximè iturus in Iaponem est, necessarium censeo, ut præter quàm eam quam dixi Eleemosynam ipsi à Sodali- tate Misericordiæ, aut aliquo isthic divite, à bonis operibus non alieno, largiendam cures, etiam eum tecto excipias, alasque, ac multâ caritate Societati devincias. Hoc quia satis ex his, ut spero, vides quàm æquum, quamque mihi cordi sit, non commendabo tibi pluri- bus, confidens te id sedulò facturum. Deus

Qe 2

Do-

Dominus Noster nos in Paradisi Gloriâ conjungat. Ex Freto Sincapurano XI. Kal. Augusti An. MDCLII.

Magister Gaspar. quam pecuniam Eleemosynæ nomine corrogatam missurus in Iaponiam es, expendendam illic in usum nostrorum novam illam Christi Vineam colentium, censeo redigi prius oportere in monetam auro duntaxat, eoque notæ optimæ purissimoque, cusam. delectum igitur habere, consilio peritorum, inter species nummorum aureorum, eos ad id seponens quos materiâ conflatos probatissimâ in confesso sit. audivi celebrari eo nomine Venetijs signatos. tu vide, prudentum in eo genere sententiâ, æquanam auri bonitate ijs suppare putentur. Ea materia magno illic commutabitur, pro modo ponderis & gradu sinceritatis. quoniam ad celaturas armorum, qui ferè unicus Auri usus in Iaponiâ est, aurum exquiritur purgatissimum. Quem nostrorum anno sequenti tertio & quinquagesimo expedies in Iaponiam, instrue primùm & præmuni egregiâ patientiâ. nam eâ illi planè invictâ erit opus ad perferenda cum viâ ac navigationis, tum postquam eò pervenerit, victûs & habitationis incommoda maxima. Fac deinde copiam secum  
ferat

N  
ferat  
cios  
long  
Vale

IO  
get  
niâ  
mas  
ut in  
Beir  
Indi  
redd  
ri q  
mitt  
solv

NOVARVM EPIST. Lib. 7. 613

ferat idoneam panni Lusitanici, quo se ac Socios, quos ibi reperiet, protegat à frigoribus longè acerrimis rigidissimarum illic hiemum. Vale.

Tuus in Christo Amantissimus Frater.

*Franciscus.*

EPISTOLA VI.

IOANNI IAPONI

NEOPHYTO.

**I**oannes Iapon Fili mi: Scribo ad Patrem Magistram Gasparem ut tibi Goæ corroget è liberalitate piorum aliquantum pecuniæ, unde merces in Iaponiâ vendibiles coemmas. nolo enim te redire in Patriam nudum, ut inde venisti. Goam ibis cum Patre Ioanne Beirâ, navibus statò tempore Malacâ versùs Indiam solitis solvere. Simul eò perveneris reddes Patri Gaspari Goani Collegij Rectori quam huic junctam Epistolam tibi ipsi committo, pro te scriptam. Patribus qui Goâ solvent in Iaponiam ituri, quibus comes affi-

Re 3

gna-

gnaberis, fac sedulo ministros, fideliterque inservias quoad eos Amangucium perduxeris. Autor magnopere tibi sum, ut sæpe confitearis Sacerdoti quæ te peccare contigerit, dolens ob Dei offensam, & emendationem firmissimè decernens. Velim etiam Sacram Eucharistiam frequenter sumas cum summâ reverentiâ & desiderio præmunienti te adversus pericula excidendi à Dei Gratiâ. quod ne tibi accidat, auxilium assiduè Divinum implora. tum in occasione labendi connitere totis viribus ad standum & perseverandum in Dei obsequio: memor si peccaveris, inevitabiliter eventurum, ut in hac vitâ, aut in futurâ gravissimè puniaris. quocirca omnium terribilium maximè formidandum puta, incidere te in culpam, ob quam æternum urendus in Tartaro sis. ubi perveneris in Iaponiam memento salutem à me plurimam reddere Marco & Paulo. Deus te faciat Sanctum & felicem: inque suam Paradisi Gloriam perducatur. Ex Freto Sincapurano xi. Kal. Augusti An. 1611.

Dices Patri Francisco Perezio, ipsi ostendens hanc ipsam meam Epistolam, ut quando solves in Indiam, scribat Cocinum Patri Antonio Heredia, commendando illi meo nomine,

mine, ut in ea ipse urbe conquirat tibi aliquam Eleemosynam, aut à Sodalitio Misericordiae, aut à quibusdam eorum quos in viâ spiritus dirigit. Significa quinetiam ipsi Patri Francisco Perezio, gratam eum mihi rem facturum, si expectans tuum ex Indiâ reditum, in occasiones invigilaverit corrogandæ tibi alicujus pecuniolæ, quam interim tibi servet, ac Goâ reverso procinctoque ad cursum Iaponicum numeret. monstra illi hoc ipsum meum scriptum, quò fidem istius mei desiderij facias. Iuvabit ille te proculdubio parùm aut multùm, prout potuerit. quod si quis casus obstaret quo minùs literas à Perezio ad Herediam scriptas haberes, ubi Cocinum veneris, exhibe Patri Herediæ illic Collegium regenti, has ipsas ad te meas literas. Id sufficiet ut is intelligat, quid pro te cupiam, & scilicet efficiat enixè quod poterit ad tibi alicunde corrogandum pecuniarium subsidium quodpiâ. Tu verò, iterum etiam atque etiam rogo, memor sis curare diligenter Patres tecum in Iaponiam ituros, ijsque obsequi ac servire fide summâ.

Addo hîc meâ manu, Ioannes Fili: servi valdè benè Patribus tecum ituris in Iaponiam, & deduc eos Amagucium usque.

Tibi Amicus ex Animo. *Franciscus.*

Qq 4

In-

Inscriptio exterior in unâ Plicaturæ facie hæc erat :

*Ioanni meo Filio .*

In altera hæc legebatur : *Ioannes Fili, Ioannes Bravius tibi leget hanc Epistolam .*

## E P I S T O L A VII.

IACOBO PERERIE.

**T**enerum , Domine , Tui desiderium ex recenti tuo capitis longè dulcissimi conspectu , exulcerat mihi animum Imagine ac recordatione discriminis in quo te reliqui . utique in Terrâ Cœli haustu corrupti , & pestiferâ contage languentium , quotidianis diræ luis contrahendæ periculis expositâ . Hæc mihi cura simulacrum tui continuè mentis oculis obijcit , cor acerbo metu pungens , ne tibi secus quàm dignus es , & quàm anxijis votis ambio , humanitùs aliquid contingat . In hac tuâ nave tui omnes , quòd sic te velle norunt , eximio me honore benevolentiaque prosequuntur , subministrantes abundè cuncta quæ opus sunt , non ad victum modò meum benevalen-



valentis, sed & ad curationem eorum, cum  
 quibus, ut scis, isthinc solvi languentibus.  
 qui quidem per Dei Misericordiam (nam mi-  
 sereri tunc quoque Deum credimus cum sa-  
 vit: quod ex tali manu mala etiam vim gra-  
 tiarum habeant) Divino, inquam, beneficio  
 Aëri Nostri deterius in dies valent. ex quo  
 quam æger ipse animo sim, quamque acri so-  
 licitudine discrucier, novit qui nos & conso-  
 latur & affligit quando vult, providentissimus  
 amarorum & dulcium temperator Dominus:  
 cujus ab omnibus semper in Coelis & in Ter-  
 ra laudes præconiaque celebrentur. Mitto  
 isthuc ad Te, Domine, quas ad Regem & ad  
 Indiæ Prætorem scribo literas, apertas, si-  
 gillo pendente, ut eas, si tibi videtur, le-  
 gas; & postea obsignes. Equidem Domine,  
 tuâ causâ cuperem, istam à me datam ad Re-  
 gem Epistolam hoc anno in Lusitaniam per-  
 ferri à quodam tibi fido, qui Regi eam red-  
 deret, & rescriptum impetraret ac referret.  
 quippe non temerè auguror id tale fore qua-  
 le nobis communiter expediat huc apportari  
 quam citissimè. Domino Petro licebit eam  
 Epistolam ostendas. delectabit enim eum vi-  
 dere quid ad Regem de ipso scribam. Has,  
 ut vides, literas scripsi duobus exemplis, quo-  
 rum

rum

rum unum signatum, alterum patens est, à te, ut dixi, obsignandum postquam legeris. Mittas velim utrumque diversis & Tabellarijs & navibus. Et alterum quidem rectè (ni fallor, & nisi tu secùs sentis) commendaretur Domino Petro ad Regem proficiscenti: alterius qui perferendi curam suscipiat, vellem à te legi aliquem ex tibi amicissimis, qui fidelissimè ac prudentissimè putetur quæ ad rem dignitatemque tuam pertinent tractaturus. Verum hoc totum arbitrio ac sapientiæ tuæ permitto. Illud peto majorem in modum, Domine, ut vitæ, valetudini, statui denique tuo solerter prospicias, primùm removens te à contagijs & omni suspecto commercio cum morbo populari laborantibus, aut qui eis ministrant; deinde invigilans rei tuæ familiari, nihil temerè agens: omnia circumspectè ac maturo judicio constituens: cunctorum quidem qui se Tibi Amicos ferunt gratè accipiens officia: non tamen facilè cuivis fidens; nec, quoad rebus ipsis perspexeris quid quisque habeat in animo, plus te illis porrigens quàm tutum foret; si, quod non rarò evenit, illi tibi mendaci benevolentia ostentatione fucum facere conarentur. Ante omnia oro te, Domine, & in gratiæ nume-

## NOVARVM EPIST. Lib. 7. 619

mero precans postulo, ut te quò magis urge-  
ris adversis, eò interius Divino Numini ad-  
moveas: ea enim sola demùm via est, quâ  
tibi angustiis rerum procellisque temporum,  
afflicto, adspirare consolatio queat. Per ego  
Te, quo Deum Dominum amplecteris, amo-  
rem, pro eo quantum gratificari mihi cu-  
pis, in parte beneficij mihi propriè ad gra-  
tiæ debitum imputandi, rogo & obsecro, ut  
in hoc acri sensu ærumnosissimæ molestiæ, ex  
tibi nuper immeritò illatâ luculentâ inju-  
riâ, cor dolore æstuans agentis ferentisque,  
spatium colligendi tui sumas; purgatoque  
per Sacramentalem Confessionem animo, ad  
sacras Christi Corporis in Eucharisticâ men-  
sâ epulas accedas. ac sic, affectûs tuos omnes  
Divinæ subiciens voluntati, boni consulas  
quidquid illi libuit permittere: illud insuper  
mecum sperans; totam istam vehementissi-  
mam tempestatem non modò nihil nocitu-  
ram, sed profuturam etiam, expetibili Tibi  
ad extremum, vitæ commodorum & civilis  
honoris augmento. Franciscum de Villâ re-  
tineo & duco mecum ad Sinas: tum quia  
ejus operâ plurimum egeo; tum etiam quòd  
non alium aptiorem puto ad rem tuam rectè  
in navî administrandam, & juvandum Tho-  
mam

nam Scandelum Procuratorem tuum . Postquam Deo juvante Terram Sinicam attigerimus , primâ eum opportunitate solventis inde navis remitemus Malacam . Sin Deo non placuerit aperire nobis aditum in Sinas , & me inde excluderit , ego ipse primâ occasione navigandi Malacam , isthuc è Sinarum viciniâ me referam , ac si ad tempus occurrerent nondum solutarum , quæ Lusitaniam repetunt navium , cum ijs in Indiam redibo . Mihi videbatur è re fore si tu ipse , Domine , ad Regem scriberes fusè ac minutè , percensens commoditates ex constitutione commercij Sinensis , per impetratam Regionum Ministrorum in Portu Cantonis habitationem , in Rem Lusitanicam redundaturas . Eodem argumento , nec minori diligentia , vellem ab eodem te literas ad Dominum Indiæ Praetorem dari . nam in eam sententiam ego quoque ad Regem scribo , ut videre poteris legendis literis , quas apertas mitto . Tu eas lectas & signatas , cum tuis paria docentibus , velim unum in fasciculum colligas , quem sic exterius inscribas : *Regi Domino Nostro : à Patre Magistro Francisco* . Vide autem ut is cui Lusitaniam petenti fascem Regi coram in manus reddendum commiseris , sit nobis  
fidus,

fidus, idoneæque autoritatis & peritiæ; tum quem certò scias necessarijs causis ad contínuò redeundum in Indiam compelli. ut scilicet ab eo mox reversuro, expeditum habere negotium, primo navium è Regno Goam appulsu queamus. Si Deus Dominus Noster dignatus fuerit ingressum mihi pandere in Sinenſe Regnum, hoc ipsum ubi cognoveris, Domine, ne pigeris quæſo, ingeminare cunētis occasionibus ad me illuc literas. nam in quacumque fortunâ magno ibi futurum mihi solatio est, de te tam caro mihi capite, ut valeas & quid agas, nosse. Deus utinam Dominus Noster, tantum tibi, Domine, & consolationis in hac vitâ, & gloriæ in futurâ tribuat, quantum mihi ipsi cupio. Vale. Ex Freto Sincapurano Kal. Augusti An. CIOIDLII.

Proëpiscopus Malacensis oravit me ut pro se ad Regem scriberem. Facio quod petit. etsi non defuit qui mihi diceret: eum in negotio nostræ ad Sinas Legationis, omisſisse quod ex se conferre in rem nostram, aut potiùs publicam, potuerat; & rationes Divini obsequij; nostræque Sanctæ Fidei dilatationis, posthabuisse gratiæ Domini Alfonso Alvari Præfecti Malacensis, cui se addi-

ctum

ctum affectavit demonstrare, spe quæstuosâ  
 cujusdam emolumenti temporalis, quod sic  
 eblanditurum se ab illo confidebat. In ma-  
 gno errore vivit quisquis, neglecto Deo,  
 unde bonum omne manat, confidit ea qui-  
 bus eget, aut quæ appetit, se per homines  
 adepturum. Ego verò soleo ulcisci non be-  
 nè de me meritos, quibus possum eos bene-  
 ficijs prosequendo. nam poenæ quas meren-  
 tur, à Deo non deerunt, & tu ipse clarissi-  
 mis experimentis, Domine, videbis, severè  
 puniri divinitus eos omnes qui mihi Dei ob-  
 sequium promoventi obstiterunt. Verè tibi,  
 Domine, profiteor: miseret me jam nunc  
 horum, malè metuentem, ne supplicia, ip-  
 sorum opinione graviora, infelicium cervici-  
 bus immineant. Epistolam istam ad Regem  
 meam quâ ei commendo Proëpiscopum; huic  
 fasciculo insertam, quæso ne gravere, Do-  
 mine, dare coram in manus ipsi Domino Pro-  
 ëpiscopo, ut eam cum suis mittat. Si Deus  
 me introduxerit in Sinense Regnum, id quod  
 ex ejus spero gratiâ, docebo Lusitanos qui  
 detinentur illic, quantum tibi debeant; ex-  
 ponens quos labores & sumptus, causâ ipsos  
 consolandi exhausseris; atque adeo, prout  
 te velle novi, universos ipsos tuo nomine  
 salu-

salutans: & quoniam à proposito eos juvandi non desistas, sperare illos jubens, te si quo modo potueris, obstacula pijs tuis conatibus hæcenus objecta, Deo juvante perumpere, ad ipsos anno sequente perventurum. Peto à te tuâ causâ Domine, ut Patres Nostros qui isthic sunt, frequenter visas. quoniam confido, animi quæ te angit ægritudinem, consuetudine ipsorum alloquijsque minuendam. Iterùm Vale.

Tuus verissimus Amicus.

*Franciscus.*

EPISTOLA VIII.

PATRI FRANCISCO PEREZIO  
SOCIETATIS IESV.  
MALACAM.

**F**Rancisce Perezi. Mando tibi in virtute Sanctæ Obedientiæ ne post visas hæcenas meas literas hæreas amplius Malacæ. sed quamprimùm poteris expedias te ad navigandum in Indiam, utens ad id navibus proximâ motione soluturis. quod si post harum, disces-

discessum acciperes hanc Epistolam, conscendes navim quæ Choromandelo Cocinum tendit; habitabisque Cocini, Ministerijs ijsdem, Concionum, Confessionum, & Scholæ Catecheticae intentus, quibus exercebaris Malacæ, Ordinem planè ac Methodum eam tenens, quam tibi scripto expressam, cum Malacâ in Iaponem solverem reliqui, aut si quam loci diversitas mutationem posceret, juxtâ formulam à me in scriptis traditam Antonio Herediae, cui volo te succedere in curâ & gubernatione Collegij Cocinensis. Ipsum autem Herediam, vel quemcumque alium post meum fortè discessum Cocinensi Domicilio quavis occasione Præpositum, jubeo statim ab his literis, te monstrante, visis, conferre se Goam, & illic paratum expectare dum mittatur in Iaponiam. Quo die Cocinense Collegium intrabis, ex eo die quicumque illic præest abdicet Præfecturam; tuque jure quàm optimo illi subrogatus, Rectoris autoritate gubernare Domum illam incipias, subjectus tamen, quatenus præscripti potestati Rectoris Collegij Sancti Pauli apud Goam. Ibi porrò, juxta Institutum Societatis & talenta tibi credita, pro viribus incumbes in procurandam Dei Domini



mini Nostri Gloriam, promovendis ad salutem & perfectionem nostris pariter & externis. Hæc quamquam, & his plura majoraque, confidebam vos solâ meæ voluntatis indicatione sine morâ facturos: tamen ad majus vestrum meritum, interpono vim potestatis mihi traditæ; ac tam tibi quàm Herediæ, aut cuivis alteri regenti Cocinensem Domum, in virtute Obedientiæ impero, ut quemadmodum modò dixi, faciatis. ille videlicet statim decedat regimine Domus, & primâ quaque occasione Goam migret. tu ei Rector succedas; & tuæ potestati pareant, non solum nostri omnes Sacerdotes aut Laïci qui tunc erant Cocini, sed etiam quicumque quavis causâ illuc venerint, cujuscumque ordinis, gradus, dignitatisve fuerint. nisi si quem fortè Rector Goanus tuo exemptum imperio certis de causis vellet. Et hoc omnes intelligant à me sibi ex obedientiâ mandatum. Tu egredi quàmprimùm ex Vrbe Malacâ, & capeßere regimen Collegij Cocinensis, quod utrumque jubeo, ne omiseris. E Portu Saucianensi XII. Kal. Novembris Anno MDCLII.

*Franciscus.*

RR

EPI-

## EPISTOLA IX.

IACOBO PERERIE.

**D**Eus per suam indulgentissimam Misericordiam, Domine, tuam nobiscum navim in hunc Sancianensem Portum perduxit incolumem. Hic quæ sit ratio conditioneque Commercij, quive negotiationis aut fructus præsens extet, aut spes in posterum affulgeat, scribent ad te multi talium callentes: Ego qui parùm his attendo, consultius putavi de re minus mihi notâ verba non facere. Quod mei est negotij narro tibi: expectare me in dies singulos Mercatorem qui recepit, se me in Cantonem pervecturum. Transegi cum eo ut istam mihi operam præstaret, promissis mercedis nomine viginti *picis*, ut hinc loqui solent, hoc est mensuris piperis, quarum unaquæque libras pendit centum viginti Lusitanas. Succedat utinam hoc negotium (& successurum spero) ad maximum Dei Domini Nostri obsequium & Gloriam. Si cujus hominis in eâ totâ re meritum erga Divinum Numen extabit ullum, tuum profectò erit, tibi que in solidum imputabitur. quoniam

niam

niam & sumptum universum meæ meorum-  
 que Comitum advectionis in hanc Insulam;  
 prætereaque pretium à me pactum, ut dixi,  
 pro nostrâ introductione in Continentem  
 Sinicam Provinciamque Cantoniam, libera-  
 lissimè tu suggeris. Thomas Scandelius Pro-  
 curator tuus summâ fide exequitur quod illi  
 commendasti, dans mihi quidquid ab ipso  
 postulo. Deus illi rependat caritatem tan-  
 tam, & quotidiana beneficia quibus me in  
 omni occasione opportunissimè afficere non  
 desinit. Sinensis Mercator à quo expecto me  
 deportandum in Terram Cantoniam, valdè  
 notus est Manuëli de Chaves, quem diebus  
 multis absconditum Domi suæ in Vrbe Can-  
 tonis tenuit, quando is fugit è carcere. Hoc  
 ipsum facit ut confidam, neutiquam illum à  
 fide mihi datâ desciturum. præsertim cum  
 satis intellexerim, quando in hoc Sancianen-  
 si Portu cum eo tractavi, haud parvi ab eo  
 fieri quam promisi mercedem centum vigin-  
 ti Medimnorum piperis, ejus, quam supra ex-  
 posui, mensuræ. Confido me per Manuë-  
 lem de Chaves, quem jam liberatum & in  
 procinctu ad reditum in Indiam reperturum,  
 me Cantone spero, fusè ad te perscripturum  
 quomodo negotium successerit, & naviga-  
 tio-

tionis & exceptionis in Urbem Cantonem  
 meam. Si verò (quod Deus avertat) fidem  
 falleret Sinensis ille Mercator, nec facultas  
 mihi alia ulla suppeteret hoc anno in Sini-  
 cam Continentem transmittendi; quid tum  
 consilij caperem, anceps animi pendeo. quip-  
 pe nondum constitui, redirem-ne in In-  
 diam; an me conferrem ad Sionis Regem,  
 à quo audio ad Regem Sinarum adornari ce-  
 lebrem legationem, cuius in comitatu lo-  
 cum fortè reperire possem aliquem. Si re-  
 petam Indiam, spes affulget nulla, quandiù  
 Alvarus Gama Malacæ dominabitur, nos æqui  
 bonive quidquam isthic impetraturos: aut  
 omninò memorabile quippiam circa Sinen-  
 sem hanc nostram expeditionem successurum.  
 nisi Deus supra humanam expectationem ali-  
 quid vi suâ supremâ fecerit. non scribo hîc  
 quid interius circa hoc sentiam. Tantùm  
 dico malè metuere me, ne Deus acerbiores  
 multò quàm opinatur, ab illo pœnas porrò  
 repetat; nisi & jam ceperit repetere. E Fre-  
 to Sincapurano scripsi fusè ad te. confido-  
 que illas literas rectè perlatas; quippe quas  
 homo fidus portandas receperit Manuël de  
 Fonseca, famulus Antonij Pegadi. De meis  
 rebus quod nunc scriberem aliud non erat,  
 nisi

nisi modò convaluisse me è febre dierum,  
 quindecim. Plura scies, si negotium Sinici  
 trajectûs cursum suum tenebit, literis quas  
 ad te copiosas Cantone scriptas tradam Ma-  
 nuëli de Chaves, cum alijs æquè prolixis ad  
 Dominum Nostrom Regem. Si quis me ca-  
 sus spe deijceret istâ, offert ecce Mihi Iaco-  
 bus Vazius Aragonensis benignam copiam,  
 navigationis secum, cogitans Sionis Regnum,  
 quò est vela facturum empto ad id navigio  
 Sinensis formæ, qualia Iuncos solemus ap-  
 pellare. Invitat ad hoc consilium, quòd oc-  
 casione legationis Sionensis, aditus fortè viâ  
 illâ pandi posset aliquis ad Sinas & Cantone-  
 nem, unde scribere ad te per Manuëlem  
 Chavesium liceret. Hæc me cogitatio tan-  
 tum allicit, ut propendeam equidem in istam  
 navigationem Sionensem. quare peto à te,  
 ut si quam isthic occasionem nanciscêris com-  
 modam, literas in Regnum Sionis transmit-  
 tendi, ne pigres ad me illuc scribere, quid  
 consilij ceperis post meum à te discessum,  
 quove nunc loco res tuæ sint: ecquid anno  
 saltem proximo legatio tua successum habitu-  
 ra videatur. tunc enim opperirer te Comaj,  
 aut in alio aliquo Cantoniensis Oræ Portu.  
 Annuat utinam id Deus. quàm suaviter am-

plexaremur nos mutuò, intrâ utique illam tot nobis expetitam votis Sinarum Terram invicem occurrentes! Sin Deo aliud placet; & visuri ampliùs in hac vitâ non sumus inter nos, at per suam Misericordiam immensam concedere dignetur benignissimus noster & rerum omnium Dominus, convenire nos ambos aliquando in ejus Paradisi Gloriâ, ubi summo cum gaudio sine ullo fine visemus invicem. Vale. E Sanciano XII.Kal.Novembris AN.CMCLII.

Franciscus de Villâ navat tibi quàm potest utilissimè operam in navi. Testimonium illi debeo gratissimi ergâ te animi. Palàm prædicat te autorem fortunæ ac statûs sui; & beneficium tuum esse quod panem Domi habeat. Iturus ad te est cum Manuèle de Chaves petitem veniam quod hùc venerit non impetrato in id tuo assensu. sed si qua in eo culpa est, mea est. Iterùm Vale.

Tuus verus ex animo Amicus.

*Franciscus.*

EPI-

## EPISTOLA X.

PATRIBVS FRANCISCO PEREZIO ET  
PAVLO ANTONIO HEREDIAE  
SOCIETATIS IESV.

**P**ater Francisce Perezi è Societate IESV,  
impero tibi in virtute Sanctæ Obedien-  
tiæ, ut statim à viso hoc meo mandato, te  
conferas Cocinum, navibus hoc anno illuc itu-  
ris, ducens tecum Ioannem Bravium, item-  
que Bernardum, si ita tibi videbitur; & ex  
die quo Cocinum attigeris, capeffere regi-  
men incipias Collegij Societatis Nostræ,  
quod in eâ urbe est; ibidemque exerceas mi-  
nisteria concionandi, Confessiones audiendi,  
& alia bona opera, prout faciebas Malacæ,  
juxta mandata tibi eâ de re scripto à me edita;  
aut etiam juxta formam quam olim præscri-  
psi Antonio Herediæ Collegium Societatis  
Cocini gubernanti. Tibi quoque, Antoni  
Heredia, siue quis alius Rector erit Collegij  
Cocinensis cum eò Franciscus Perezius adve-  
niet, mando in virtute Obedientiæ, ut sta-  
tim modò nominato Patri Francisco Perezio  
præfecturam istam hætenùs administratam ce-

RR 4                      das;

das ; ita ut ex tunc ille incipiat quàm optimo jure Rector esse Familiæ istius ; tuque , aut quicumque alius ante id Collegium regebat , primâ quaque occasione te conferas Goam ; ibique te compares ad iter Iaponicum , statim ac præscriptum tibi fuerit , capeffendum : vel eundem quocumque , ac faciendum quidquid jufferit Pater Magister Gaspar Barzæus Rector Collegij Goani . Sic enim ut faciatis omnes , ex animi mei sententiâ decerno , & pro potestate jubeo . in cujus rei fidem huic mandato manu meâ subscripsi . In Portu Sancianensi pridie Idus Novembris AN. CIOSLII.

*Franciscus.*

EPISTOLA XI.

IACOBO PERERIE.

**Q**Uod ad te , Domine , nunc quidem scribam , aliud admodum non habeo , præter iteratas , & quantumvis multiplicentur , nunquam exhausturas immensum debitum , professiones grati mei erga te animi , propter nullo fine aut modo in dies & horas



horas singulas, inundantes in me gratias hu-  
 manitatis & caritatis tuæ, quas excogitasti  
 quomodo etiam absens exerceris, vicariâ se-  
 dulitate ministrantium mihi, & præsentis ob-  
 sequio inservientium, Familiarium tuorum.  
 Hos inter Thomas Scandellus Procurator tuus  
 tanto amore ac liberalitate dat mihi quæ-  
 cumque peto, ut facile appareat: conscium  
 tibi participemque esse illum benevolentissi-  
 mi erga me affectûs, quo non paratissimus  
 modò es, sed etiam cupis, ac quodammodo  
 gestis, donare mihi semper plus quàm postu-  
 lem, & ultrà quàm egeam. Rependat tibi  
 utinam, qui solus potest, Deus Dominus No-  
 ster, quod me imparem solvendo, debere  
 quamdiu vivam erit utique necesse. atque  
 hujus debiti si minus Sortem unquam refun-  
 dam ac caput, saltem usuram velut quandam  
 & quotidianam mercedem non omittam ti-  
 bi, prout valvero, quoad vivam pendere,  
 Deum Dominum Nostrum assiduè orans, ut  
 te ab omni malo custodiat, nec permittat  
 excidere unquam in hâc virâ, suâ gratiâ; sed  
 ita te vegetum semper ac florentem inter va-  
 letudinis ac jacturarum rei familiaris varia di-  
 scrimina conservet in fide ac diligentia suæ  
 Sanctæ Religionis Divinique obsequij, ut me-  
 ren-

rentem aliquando coronare Paradisi sui Gloriam tuam animam possit. Et quoniam quantumvis in hoc coner, mihi parum satisfacio, succenturio mihi auxiliarem operam omnium Fratrum meorum, Patrum Societatis IESU, qui variè per Indiam Ecclesie Sanctae deserviunt; quibus cunctis, etsi per se id agere paratis, tamen calcar addens currentibus, mandavi; ut & tibi velut singulari Nostri Ordinis Patrono, omnia verissimae benevolentiae officia persolvant; & eundem te, tanquam columnen Christianae Religionis in his partibus, quippe quo uno praecipue spes nitatur promulgandae in Regno Sinarum Sanctae Legis IESU Christi Dei Filij, lateque celebrandae ipsius gloriae, quotidianis Orationibus & Sacrificijs Deo enixè commendare non desinant. Quamquam ipse optimus per se Dominus, intimè conscius tuae incensae in eius obsequium voluntatis, & aequus aestimator tam utilium ad Regni sui dilatationem tuorum operum, seclusâ etiam suffragatione fervorum suorum, suapte sponte non deerit, quin peculiari te resque tuas favore ac patrocinio semper amplectatur; & vota desideriaque fortunet ad tam sanctum finem juvandae Praedicationis Evangelicae, aggregandarumque

N  
que a  
inter  
mine  
rum  
annu  
fo te  
su Go  
tre C  
unum  
tecur  
Huic  
quifi  
fectio  
tio,r  
rezi  
illi r  
cien  
part  
mec  
man  
que  
Irem  
te an  
sequ  
tran  
si c  
me

## NOVARVM EPIST. Lib. 7. 635

que ad Christi Fidem Animarum errantium,  
intenta. Si negotium demandatæ tibi, Do-  
mine, ab Indiæ Prorege legationis ad Sina-  
rum Regem, exitum tandem prosperum in  
annum sequentem nancisceretur, age, quæ-  
so te, cum Patre Francisco Perezio meo jus-  
su Goam navigaturo, ut illic impetret à Pa-  
tre Gaspare Barzæo Rectore Collegij Goani  
unum è Nostræ Societatis Sacerdotibus, quem  
tecum, Domine, solvens in Sinas duceres.  
Huic vellem ferendas tradi sacras vestes ex-  
quisitoris pretij, quas, ut scis, ad illam pro-  
fectionem paraveramus. Eas, disturbaro nego-  
tio, reliqui Malacæ custodiendas Francisco Pe-  
rezio, à quo illas poteris recipere, ostensis  
illi meis hisce literis, quæ abundè fidem fa-  
cient meæ circa hoc voluntatis. Calicem,  
partem illius sacræ supellectilis alteram, quem  
mecum huc extuli, mittam ad Te per Tho-  
mam Scandelum, ut, si tibi videtur, ei quo-  
que Patri tuæ Legationis comiti tradatur.  
Irem, Domine, cum tuis Malacam, si sperarem  
te anno proximo in Sinas profecturum. nunc  
sequor verisimiliorem spem in Sinas hoc anno  
transmittendi, quam in Mercatore Cantonen-  
si constitui; quæ si (quod Deus prohibeat)  
me deficeret, omninò jam decrevi adjunge-  
re

re me comitem Iacobo Vasio Aragónio, Sionis Regnum, ut dictum est, petenti; unde facile confido, me anno sequente, Lembo Sinico ex ijs quos Iuncos vocant, Cantonem appulsurum: atque adeò, si tua, ut modò dicebam, legatio, anno saltem sequenti, cursum suum teneat, spero nos invicem (quantà mutuà consolatione Deus scit) Comaij aut Cantone occururos. Scribe, oro te, ad me, si qua erit occasio, in Sionis Regnum, quid constitueris; nam in omni eventu gratissimum mihi erit, qui sit rerum tuarum status ex tuis literis cognoscere. de minutis singularitatibus conventionis nostræ cum Mercatore Sinensi circa meam deportationem in Urbem Cantonem, plura modò non refero, quòd ea differere tutius & jucundius fuerit re jam transactà: Itaque illa expecta literis quas ad te spero me daturum Manuèli de Chaves. Si quid Nostri Patres Malacæ, Goæ, aut uspiam conferre possent ad expediendum negotiam tuæ legationis, adhibere illorum operam ne dubita. Franciscum Perezium, Gasparem Barzæum, alios omnes ubicumque fuerint, quidquid potuerint ad nutum exequi paratissimos habebis; utique qui præclare sciant, quàm id mihi cordi sit: sed & (quod

caput

caput est) persuasissimum habeant, esse totum istud negotium multò maximi momenti ad Dei Domini Nostri Gloriam, & Redemptionem infelicium magno numero Lusitanorum, qui servitutem miserrimam in Ergastulis Sinarum patiuntur. in quale infortunium incidisse nuperrimè, tristissimo quodam casu, summum meum Amicum Franciscum Pereriam de Mirandâ, modò audio, dolore meo fanè maximo. Sentio enim, & nequidquam gratus recolo, quantum illi viro debeam; ob multa magnaue humanissimè nobis impenfa officia & beneficia, cum Firandi apud Iaponem unà nobiscum esset, habens secum, numerosam Comitum, quibus præerat, pariter benevolorum manum. Literas quas Dominus Prætor Indiæ, Regi Sinarum à te reddendas dederat, imprudens mecum huc tuli. Eas ad te cum his remitto. Iterùm rogo ne, Domine, gravè, literas ad me in Regnum Sionis dare. nam planè, ut jam significavi, certum mihi est, si spes (quod absit) à Mercatore Sinâ evanesceret, in Regnum Sionis tendere; & viam illam penetrandi ad Sinas tentare. quàm si saltem fortunare Deus Dominus Noster dignabitur, ibo expectatum te scilicet in Aulâ Regis Sinarum

rum

rum, nisi vincetus Cantone detinear. Omnino, inquam, si qua mihi, propitio Superum favore, pandetur adeundi Sinas via, in altero diversissimorum inter se locorum, dissimularum vitæ conditionum ac statuum me reperies; aut captivum in Cantonensi carcere, aut Pechini (quâ in Vrbe commorari Regem Sinarum ajunt) operientem adventum tuum, & quasi anteambulonis, aut metatoris tui fungi officio conantem. Verbum non addam, postquam rem verissimam affirmavero; tanto me teneri desiderio sciendi quid agas, ut valeas, quo loco res & spes tuæ sint, ut si essem locuples, talium nuncios auro contra non caros habiturus; quin & pretiosissimorum profusione donativorum promptissimè fuerim empturus: præsertim cum ex Christi IESU pronò in te, quantum intelligo, favore confidam, ea me de te à vera referentibus cogniturum, quæ maximè cupio. Deus Dominus Noster, si quidem ad sui sancti obsequij rationes ita expedire noverit, nos in Sinensi Regno videre invicem annuat. Sin aliud ipsi fortè decretum est, in sui certè nos congreget felici Statione Paradisi. Vale. Sanciano, pridie Idus Novembris Anno MDCLII.

Tuus

Tuus Servus & summus Amicus ex  
animo .

*Franciscus .*

EPISTOLA XII.

PATRI FRANCISCO PEREZIO

SOCIETATIS IESV.

*Gratia & Amor Domini Nostri IESV Christi  
adsit semper nobis auxilio & fa-  
vore. Amen .*

**L**Embo hinc solvente Gasparis Mendezij,  
uni ex ejus vectoribus Francisco Sanctio  
dedi ad te literas, quas spero redditas; &  
quod ijs mandabam, itemque quæ per hasce  
præscribo, ut effecta des, magnoperè tibi  
cordi esse; atque adeo sedulitate accurari ma-  
ximâ cupio. Octavum jam diem hîc in ho-  
ras expecto Mercatorem qui me clàm impor-  
taturus in Urbem Cantonem est. Hunc ego,  
nisi casus humanâ vi major obstiterit, ut con-  
fidam omninò venturum, facit magnitudo  
promissæ mercedis, ipsius etiam æstimatione

ac

ac judicio notabilis. numerum enim Pipe-  
ris, si me incolumem Cantone sisteret, eum  
ostendi me daturum, ex quo lucrum pretij au-  
reorum facile nostratium plusquam quinquaginta supra trecentos se redacturum intelli-  
git. Hanc facultatem tam carò emendæ  
transmissionis ad Sinas meæ, summo Amico  
meo Iacobo Pereriæ debeo. ex hujus enim  
volentis & liberalissimè condonantis penu  
tantum istud pondus pretiosæ frugis mihi ad  
manum est. Rependat illi Deus meâ vice,  
quod semper debiturus ipsi sum. utique sol-  
vendo impar. Vos autem hortor universos,  
ut pro virili annitami de hoc viro quàm  
optimè mereri, ubicumque per Indiam opis,  
officij, auxiliijve ipsi cujusciam impendendi  
se obtulerit occasio. arripite avidè anfas  
omnes ejus causâ operæ navandæ, nec con-  
tentioni in hoc ulli parcite. nunquam, vel  
extremo conatu, conspirantes utcumque simul  
omnes, valebimus rependere, vel hoc ulti-  
mum beneficium redimendæ tantâ suâ im-  
pensâ, tam utilis ad propagationem Nostræ  
Sanctæ Fidei, introductionis nostræ in Sina-  
rum Regnum, tam impenetrabiliter hæcenus  
Evangelio clausum. Per hanc quippe habe-  
bit Societas IESV quam votis omnibus exo-

ptat

N  
ptat  
junge  
Popu  
gress  
nific  
è re  
neris  
neces  
conf  
anno  
id qu  
nam  
tior  
est c  
grav  
tio.  
prim  
Pere  
exitu  
solut  
quer  
ad h  
Sic e  
verif  
cessu  
rectu  
desti



## NOVARVM EPIST. Lib. 7. 641

ptat facultatem dilatandi Regni Christi, ad-  
jungendis Ecclesiæ tot illis Imperij vastissimi  
Populis; & videlicet (ut jure principijs pro-  
gressus imputantur) totum illud debet be-  
neficiæ hominis unius Jacobi Pereriæ, qui  
è re suâ privatâ sumptus omnes suggesserit iti-  
neris hujus mei ad tantam rem auspiciandam  
necessarij. Rescias ex ipso velim, ecquid se-  
confidat eluctaturum obstacula Legationis, &  
anno consequente Cantonem venturum? Ego  
id quàm valdè cupio, tam parùm spero. Vti-  
nam meam diffidentiam successus opinione læ-  
tior refellat. Ignoscat Deus illi homini qui  
est causâ tanti mali. Plurimum metuo ne  
gravissima illum citò excipiat læsi Numinis ul-  
tio. nec multùm aberit quin ejus jam sentire  
primos occeperit appulsus. Scribo ad ipsum  
Pereriam, ut si, contra quam spero, negotij  
exitum expedierit, adjungere sibi ne gravetur  
soluturo in Sinas Comitem unum è Nostrijs,  
quem illi Gaspar Barzæus Goâ submissus  
ad hoc est, modò admoneatur in tempore.  
Sic enim illi per literas mandavi. Sin, quod  
verissimilius reor, desperato Legationis suc-  
cessu, Pereria navem suam, Malacâ omissâ, di-  
recturus Sundam est, nihil erit tum necesse  
destinatum illi Sinicæ profectionis comitem.

Ss

Sa-

Sacerdotem Nostrum Goâ Mense Majo Malacam petere . de quo , ut dixi , Gasparem Goanum Rectorem tempestivè præmoneri oportebit per te ipsum ; quem propterea vellem , antequam Malacâ solveres , explorasse ad liquidum quid sit Pereria facturus . Ferreriam eieci è Societate . nam ineptus ad illam est . quare tibi , cum Cocinum appulsus Collegij regimen capefferis , mando in virtute Obedientiæ , ne illum Domo excipias . Eum tantum quoad poteris hortare , ut ad Franciscanorum vel Dominicanorum Fratrum se institutum transferat ; tum si persuaseris , age cum illis Patribus , ut eum admittant . Scribes etiam Patri Gaspari Barzæo Goam : me omninò pro imperio vetare ; ne Ferreriam inconvictum nostrorum , aut sub tectum Collegij recipiat . solùm juvet illum quantum poterit ad Transitum in alterum sacrorum Ordinum<sup>um</sup> Sancti Francisci aut Sancti Dominici . Si D<sup>eu</sup>s volente Cantonem tenuero , dabo anno sequente pro virili operam , ut vos ejus ipsius rei nuncio impertiam , scriptis illinc in Indiam literis , quas curabo quàm optimè licebit , perferri ad navem Choromandelem petituram . Utar ad hoc navigio Pereriæ ex hac Orâ redituro Malacam . ubi utinam occurrat  
in

in tempore ante discessum navium quæ Choromandelem versùs statâ tempestate consueverunt inde solvere. Hoc si successerit, poteritis intra Mensem Martium Cocini de meo Cantonem appulsu certiores fieri. Ad eam rem, expediet, te Malacâ discedentem commendare Vincentio Viegæ, ut simul appulisse illuc cognoverit navim Pereriæ reducem ex Orâ Sinicâ, requirat recipiatque si quæ in eâ literæ meæ fuerint; easque Choromandeleni viâ dirigat Cocinum. ne autem, cum in Choromandelis Oram fuerint perlatae, ibi negligantur; præsertim si, quod pronum eventu est, illic tum, fortè defuerit opportunitas ulterioris maritimæ vecturæ, Iacobum ipsum Pereriam te præmunivisse conveniet, maturéque orasse: ut eas literas cum suis ad Te Cocinum, expedito viâ terrestri Tabellario, mittere ne gravetur. Quod tuum Malacâ discessum attinet, in ejus procinctu commendes censeo Vincentio Viegæ custodiendam tum Domum illic urbanam nostram, tum suburbanam Ædiculam, à Sacello adjuncto Dominae Nostræ Deiparæ dicato, nominatam. Orabis ergò eum, ut curæ custodiæque suæ utrumque illud Societatis Domicilium committi patiatur. Ac ne fortè processu temporis, aut ipse, aut ejus

nomine quispiam, quæsitum illi jus quoddam in loca illa opinetur, trade in manum ipsi exemplum Donationis, quâ Dominus Episcopus Aedes illas jure quàm optimo Societati IESV in perpetuum transcripsit: simulque Sygrapham exige quâ Vincentius testetur, se depositi nomine, ad custodiam duntaxat, habitationem utramque illam, Societati cum repetierit reddendam, sub tutelam & patrocinium suum sumere. Ipsas verò authenticas Donationis tabulas, & Archetypum diploma Domini Episcopi tecum ablatum, Cocino viâ tutissimâ deportandum Goam cura, illic in Sancti Pauli Tabulario servandum. Porrò te in consilio Malacâ discedendi planè jubeo irrevocabiliter fixum persistere. vetoque omninò, ne cujusquam quantivis precibus, aut fallacibus promissis, induci patiaris ad illic hærendum; neve pergas operam, longè utiliùs, ut nunc res est, ubivis alibi locandam, in eâ ingratâ, & eo subsidio indignâ Civitate perdere, prout ex aliquo jam tempore contigit. Cum bono isto Sacerdote, quem modo nominavi, Vincentio Viegâ, poteris, si tibi videbitur, relinquere isthic Bernardum nostrum, ut quod hætenus fecit, docere pueros primores literas, & orationes element-

mentares, ac Fidei Christianæ rudimenta, per-  
 gat. Hoc tamen totum arbitrio tuo permit-  
 to. delibera quid magis expediat: & prout  
 conducibilius judicaveris, aut illum abduc-  
 tecum, aut permanere ibi jube. Ferrerianus  
 è Societate amandatum navigare in Indiam  
 nollem in eadem tecum navi. quare da ope-  
 ram, quantum poteris, ut aliam conscendat.  
 Sin aut copia navis alterius non erit, aut ipse  
 utique non feret avelli à te; magnoperèque  
 oraverit, ut tecum eum tollas, indulgeas id  
 licet: sed eà disertè denunciata conditione:  
 si sanctè polliceatur, se in alium Religiosum  
 Ordinem transiturum. Id duntaxat ubi cla-  
 rè promiserit, juva illum & fove pro tuâ co-  
 piâ, eâ benignitate caritatis, quæ ipsum pos-  
 sit in isto proposito firmare. Interpres quem  
 scripseram, velle mecum in Sinas ire, ab il-  
 lo consilio metu resiliit, meque destituit,  
 hîc hærens. nos in jaciendæ cujuscumque  
 alex decreto persistimus, freti Dei auxilio,  
 tria omninò capita, Antonius, Christopho-  
 rus, & ego tertius. Ora plurimum pro no-  
 bis Divinum Numen. nam periculum di-  
 ræ servitutis præsentissimum adimus. Sed  
 consolatur nos hoc reputantes, quod persua-  
 sissimum habemus: longè præstare captivum

& vincum esse solo Dei Amore, quàm libertatem quantumlibet jucundam, fugâ laborum Crucis Christi ignavâ ingratâque emere. Si fortè contingeret Mercatorem Sinam, ex quo spes nostri Cantonem trajectis pendet, aut metu, aut aliâ ex causâ, consilio mutato, fidem fallere, in tali jam nunc eventu constitui navigare in Sionis Regnum, cujus cursûs præsens facultas adest. Causa consilij est: quod comperi adornari navem illic Cantonem ituram, intra quàm me insinuans, si Deusnaverit, appellam ante annum vertentem in tot votis optatum littus. Salutabis à me perofficiosè Amicos illic nostros omnes, præsertim Vincentium Viegam. Deus Dominus Noster nos in Paradisi Gloriâ conjungat. Vale. Ex hoc Sancianensi Portu pridie Idus Novembris Anno MDCCLII.

*Franciscus.*

EPI-

## EPISTOLA XIII.

PATRIBVS FRANCISCO PEREZIO MALACAM, ET MAGISTRO GASPARI BARZÆO SOCIETATIS IESV GOAM.

**T**ibi Pater Francisce Perezi soluturo, prout antea mandavi, versus Indiam ex Vrbe Malacâ, enixè per has mando, magnopere oro, ut missis his ipsis meis Goam, ad Gasparem Nostrum literis, per eum aliosque qui sunt illic Socios; impetrari quamprimum cures à Domino Episcopo canonicam declarationem excommunicationis in quam incurrit Alvarus Præfectus Malacensis, ob impeditam profectioem meam in Sinas. In eâ re sic procedi debere censeo. Adeatur à Nostris cum Dominus Episcopus, tum ejus Vicarius. utrique ostendantur Bullæ Pontificiæ circa Institutionem, Confirmationem, & Privilegia Societatis IESV. Exhibeatur etiam seorsum Breve Pontificium in Pergamenâ chartâ, promendum ad hoc ex arcano Collegij Sancti Pauli apud Goam Tabulario, quo Brevi me nominatim Summus Pontifex creat & consti-

tuit Legatum suum in his partibus Indiae. His visis, rogentur ambo, ut quoniam, contra manifestum in contrarium Societatis IESU, vi Pontificiorum diplomatum, & meum privatim jus, ob ritè collatam mihi auctoritatem Legati Sedis Apostolicæ, Dominus Alvarus Gama Præfectus Vrbi Malacensi per vim obstitit, ne in Regnum Sinarum Prædicandi causâ Evangelij me conferrem; & quam ad id facultatem à Domino Indiae Præatore ritè perscriptam, demonstrabam, flocci fecit, irritamque rebelli contumaciâ reddidit; contemnens præterea præsentem auctoritatem, jus meum & Domini Nostri Regis non dubiam in id voluntatem, asserentis Domini Francisci Alvari, tum Arci Regiæ, sitæ in Vrbe Malacâ, præidentis, supremique insuper Quæstoris & Ærarij custodis, cui obedire præfractè abnuit. His sceleribus quoniam is, præter crimen perduellionis in Regem, etiam Ecclesiasticum anathema Bullis Pontificijs intentatum, haud dubiè conscivit; petere nos ut id ipsum declaretur ritu solito, & in eo loco, ubi piaculum istud patratum est, ejus Autor palàm denunciatur segregatus à Communione Catholicâ, & ab Ecclesiæ corpore tam nefarij facinoris merito resectus. Mittatur autem diploma Domini



## NOVARVM EPIST. Lib. 7. 649

ni Episcopi hoc clarè indicans. Malacam, cum  
ejusdem literis ad suum Proëpiscopum ibi re-  
sidentem; quibus eum jubeat curare, ut è sacro  
pulpito ad congregatum die Dominicâ popu-  
lum in Ecclesiâ, suæ istæ de more literæ reci-  
tentur. Hoc cur per vos postulari, & reipsa  
sic fieri omninò velim, duplex mihi causa est.  
Prior, quia cupio, quantum possum ipsi illi,  
cujus me miseret, consulere tam acerbæ inju-  
riæ autori. nempe is adhuc ignorat in quantam  
perniciem inciderit. quem est verisimile, per  
declarationem publicam, diri, quod suum in  
caput temerè attraxit, anathematis, quodam  
horrore tantæ calamitatis excitandum in ali-  
quem fortè sensum poenitentiae, qui ei salutis  
initium esse possit; curam utique iniiciens  
emerendæ legitimis piaculis ab Ecclesiâ, per  
ei Præpositos, canonicæ absolutionis. Alte-  
ra quæ me ad hoc impellit ratio pertinet ad  
prævertendos in posterum tam perniciosos  
Evangelicæ Prædicationi ausus improborum  
hominum. Video enim usu plerumque ven-  
turum, ut Apostolici Operarij Societatis No-  
stræ in varijs Indiæ Portubus opportunitates  
nanciscantur navigandi, promulgandæ Chri-  
sti Legis gratiâ, in Iaponem, Moluccum, aut  
loca similia; quos, qui habent in ijs locis pote-  
sta-

statem Præfecti Regij, avaritiâ, invidiâ, seu  
 quo alio furore in transversum acti, ludificare  
 ac frustrari, prout mihi contigit, possent. ne  
 id ergò isti se impunè attentaturos autument,  
 infamandum fœdo eventu noxium exemplum  
 est, & tantâ ignomiâ deformandum, ut  
 quos Dei respectus parùm movet, judicia  
 hominum, macula nominis, stigmaque velut  
 iniustum fronti ad summum dedecus, abster-  
 reat. Compertum habeo quosdam istorum  
 eò in talibus ruere fidentiùs, quòd nefarijs id  
 genus factis quantæ sint poenæ constitutæ,  
 partim non meminerint, demersis in fordi-  
 das curas animis, partim etiam Christianæ  
 Disciplinæ pudendum in modum rudes, igno-  
 rent. Horum obijci admoverique semel sen-  
 sibus oportet experimentum Ecclesiasticæ se-  
 veritatis constitutum in illustri capite, quo  
 admoniti cunctentur aliquantulum, dum  
 instigabuntur ad attentandum Religioni no-  
 xium facinus; & gnari quanto in istis pericu-  
 lo peccetur, licentiam formidine coërceant.  
 Has Domini Episcopi, vel ejus Generalis Vi-  
 carij literas exortem Sacrorum & diris de-  
 vorum Præfectum Malacensem declarantes,  
 deportet Malacam Ioannes Beira, vel qui-  
 cumque alius nostrorum eò se conferet solu-  
 turus

turus inde versùs Iaponem; Ibiq̃ue Malacæ  
 in manus tradat Proëpiscopo . qui ne moram  
 exequendi quod opus est faciat, exorandus  
 erit Dominus Episcopus, ut vel ipse per se,  
 vel jussu eius ac nomine Vicarius ipsius, Epi-  
 stolâ in id propriâ; Proëpiscopo Malacensi  
 sub anathematis poenâ imperet, ne promul-  
 gare differat in Ecclesiâ excommunicationem  
 contractam à Domino Alvaro . Vos verò,  
 per Deum, cavete ne hoc meo mandato ne-  
 gligendo gravissimum violatæ obedientiæ  
 consciscatis crimen . Facite autem, ut ante  
 annum vertentem vestris literis cognoscam  
 quâ vestrâ diligentia, quove successu totum  
 hoc negotium accuraveritis . Me quod atti-  
 net, dum hæc scriberem hîc stabam in anxio  
 procinctu trajetûs ex Insulâ in Continen-  
 tem Sinicam . Cursus est, propter rerum  
 præsentis angustias, perærumnosus; tum ob  
 præsentissima pericula gravium malorum  
 supra modum anceps, & sævis terroribus  
 æstuans . quò tandem sit alea casura, pen-  
 deo equidem incertus animi; certus tamen  
 consilij, nec non arcanâ vigens fiducia suc-  
 cessûs, eventu qualicumque, tamen in bo-  
 num aliquando profecturi . Spes Cantonen-  
 sis Portitoris in horas expectati, si me ad  
 extre-

extremum, quod absit, deficeret, deliberatum, ut dixi, habeo, navigare in Sionem, unde transmissionis in Sinas nonnulla facultas ostentatur. Ea quoque si casu quopiam evanesceret, tum sanè reflecterem cursum in Indiam. Sed auguratur animus, opus eo extremo consilio haud fore, credere pertinax ratas futuras priores spes; me voti compositae aliquando ad Sinas appulsuro. Vnum vobis, mihi planè certissimis compertum argumentis, omni asseveratione confirmo, persuasissimumque volo esse: incredibiliter exhorrescere Diabolum Societatis IESV ingressum in Sinarum Regnum. apparet omni ejus rei conatu tangi velut pupillam ejus oculi. ita impotenter efferatur; sic se in adversum arripit; adeo vehementibus contrà furijs erumpit. Accipite hunc à me indubitatissimum Nuncium ex hoc Portu Sancianensi, ubi cum in singula momenta admoliri eum nobis tot alia super alia, velut semper prioribus diffusum, Sinici trajectus obstacula sentiam, quot enumerare, aut fando exequi si coner, nullus finis fit: clarè videlicet intelligo, canonicum in castris Tartari, consternatosque malos Dæmonas universos in armis, pro suo quasi vallo, contra nos stare. Sed & illud nihilò

hilò vobis minus liquidò perspectum esto :  
 certò confidere me , fretum utique auxilio ,  
 gratiâ , favore nusquam defuturis Dei Do-  
 mini Nostri , fore omninò ut IESVS Chri-  
 stus Noster Redemptor ac Dominus , irritum  
 immanis voti , ac spei cassum insanæ , salutis  
 humanæ hostem , Orbis universi ludibrijs  
 exponat ; tantò illustriore Divinæ ipsius  
 Majestatis Gloriâ , quantò vilioris usus ad rem  
 tantam instrumento , me videlicet omnium  
 despiciatissimo , superbissimum illum Genium  
 tantâ sui opinione subnixum dejecerit ac risui  
 propinaverit incomitatum & explosum . Te  
 deinceps hîc propriè appello Magister Ga-  
 spar , orans etiam atque etiam , ut memineris  
 summâ diligentîâ cuncta exequi quæ tibi di-  
 scedens partim voce præcepi , partim scriptò  
 complexus in chartis tradidi . Horum cave  
 oblivio tibi obrepat , quominus effecta red-  
 das in tempore singula ; quòd fortè me mor-  
 tuum autumans , tibi videaris juris tui factus ,  
 nec meo amplius obnoxius imperio . Recolo  
 pari occasione meæ longinquæ absentîæ quos-  
 dam isthic errore simili prolapsos . Atqui  
 ego quidem non prius moriar quàm Deus me  
 mori voluerit . diù profectò est , quod mihi vi-  
 ta tædio , mors in voto est . frustra tamen hu-  
 mana

mana curiositas confluetur circa horam mei obitus. quam æterno utique decreto fixam, nec præcipere nec morari vanæ opiniones queant. Hoc monitum eò pertinet. uti ne nimis tribuendum iudicio tuo putes: prout aliàs, si recordaris, Tibi excidit aliquid indulgere proprio sensui contra præscriptiones meas; in quo rem-ne acu tetigeris, an ratio te fugerit, Deus scit. nollem anno fortè proximo revertens, isthic invenire quod foret necesse castigare. Adverte sis animum ad quod mox addo. Admittendorum in Societatem habeas, moneo, severissimum, pene dixero, fastidiosissimum, delectum. qui pauci examinis, ut sic dixerim, præliminaris acerrimis indagationibus satisfecerint, ij rursus explorentur cunctis per ordinem experimentis domestici Tyrocini, nempe aliquorum ultrà rudimenta progressorum eos mores video, qui me cogant diffidere iudicijs quibus probari potuerunt, homines (ut res demonstrant) tales quos Domo extrudi faræ ac quietis Nostri Ordinis interest. Ejusmodi exemplum vitare non potui quin ederem in Alvaro Ferreriâ; quem à me delectum ex Albo Sociorum, cave, isthuc si venerit, Domo recipias. Ad transeundum in aliam Religiosam Familiam consilio licet  
ho-

NOVARVM EPIST.Lib.7. 655

hominem operâque adjuves : reditum in Societatem quantavis instantiâ poscenti ne indulgere possis unquam , scias te, quam mihi debes, obedientiâ prohibitum . nam ex animi mei sententiâ pro potestate veto: ne Alvarum Ferreriam Domum admittas, quem scio ad Instituti Nostri rationes minimè accommodatum . Si quo casu hæc Epistola alium Goæ Rectorem quàm Gasparem Barzæum reperiet , is Rector quicumque fuerit, quæ Gaspari mandabam , sibi perinde præscripta intelligat . Ex Portu Sancianensi Idibus Novembris Anno CIOCLII.

*Franciscus .*

LAVS DEO.